

impunita dimittamus, quæ, si sciremus, acerrimè uindictanda erant. Quanquam si quid unquam uerè prædicarent, ac non omnia impudenter mentirentur, ignosci nobis posset, qui eos ferremus: nunc cum ita è mendacio toti concreti sint, ut prodigiū simile esse uideatur, si quid aliquando uerè eis excidat, quid causæ dicemus, cur eos consuli sinamus? Liquet mihi iurare, de Syluio, quo & quanto uiro, dii immortales? audiuisse me non magis fidem astrologis istis habendam, quàm hominibus uanissimis & fallacissimis esse. Ut enim, mihi dicebat, semel statuas, quantum eis tribuere debeas, quid dicam, attēde. Tantum abest ut natio ista hominum euenta uitæ prædicere queat, ut ne de anni quidem constitutione & habitu, qui tamen certiores habet uices, ad uerum decernere quicquam possit, præter ea, quæ uel idiotis nota sunt. Nam præter quadripartitas anni commutationes omnibus notas, non dubitem reliquarum propè rerum præsentationem eis detrahere. Sæpenumero, quò fidē artis illius experirer, statim anni initio in Ephemeride, ubi pluuium illi scribebant, ego sudum notauī: ubi illi tranquillum, ego uentosum: ubi illi serenum, ego nubilum: & euentum obseruauī, annoq; uertente summam feci utriusq; prædictionis, ac me multis partibus meliorem & certiorē astrologum reperi: ut scias qualis illa sit ars, quàm qui negligat & irrideat, artifex propemodum uideri queat. Mihi quidem, mirum esse uidetur, quenquā hodie eorum esse, qui post anni superioris prædictiones, cui simile ætas nostra non uidit, frontē suam hominibus ostendere ausit. Totus eius anni status, eluiones & inundationes habuit: assiduīs imbribus agrī natârūt: segetes partim mersæ interierunt, partim in pabulum eluxuriârunt: uix anni humore & frigore non maturuerunt. nihil horum ante exitum astrologi uiderunt. Nihillo spectatior eorū hoc anno fides fuit, qui siccitate exuperat, ut ille humore redundauit: ac ut opinor, ne inducias quidem hodie haberemus, nisi sæuissimum nobis bellum

bellum